

1330-1330- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Traiectum Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capituli generalis apud Traiectum celebrati
 anno Domini · M° · CCC° · XXX° ·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris conventualis, ubi dicitur: qui primitus habitum nostri ordinis susceperunt, addatur sic: et in nostro ordine continue permanserunt, quod in omni constitutione et casu simili volumus intelligi et observari.

Item hanc: In capitulo de sollempni celebratione capituli circa finem, ubi dicitur: magister ordinis cum assensu etc., deleatur: cum assensu, usque ad illud: transferre possit, et dicatur sic: magister ordinis vel eius vices gerens de discretorum consilio ad alium conventum eiusdem provincie transferre possit capitulum generale.

Item hanc: In ordinario in rubrica de memoriis faciendis, ubi dicitur: quod in paschali tempore de cruce fiat memoria, nisi in totis duplicibus, deleatur: totis duplicibus, et dicatur: in duplicibus et supra.

Item hanc, quod de sancto Thoma de Aquino fiat memoria per octavas ipsius in laudibus per antiphonam: Collaudetur, in vesperis per antiphonam: O Thoma, cum versiculis et oracione consuetis.

Item hanc, quod de sancto Servacio episcopo et confessore fiant tres lectiones tercio idus maii, et magister ordinis curet de officio providere.

Et hec omnia in locis suis in ordinario annotentur.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: omnibus fratribus ad conventum illum pertinentibus, si commode etc., deleatur: si commode fieri potest, et dicatur sic: convocatis, si infra unam diem possit ad eos nuncius pervenire; et hoc idem in electione priorum conventualium et tractatu eorum, que mittenda sunt ad provinciale capitulum, observetur. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc: In capitulo de capitulo provinciali, circa principium, ubi dicitur: quos instituendi nullus vicarius eciam cum diffinitoribus potestatem habeat, addatur sic: quos eciam nullus possit absolvere nisi solum capitulum generale. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc: In capitulo eodem, ubi dicitur: omnia diffinient et tractabunt cum priore provinciali, addatur sic: vel eius vicario. Quod si plures vicarii fuerint, a quibuscumque legitime constituti, ille ad diffinitionem admittatur, quem maior pars diffinitorum elegerit admittendum. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc, quod fiat festum trium lectionum undecim millium virginum; et magister ordinis interim debeat de officio providere. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc, quod de angelis fiat memoria per octavas in laudibus per antiphonam: Angeli et archangeli etc., versum: In conspectu angelorum etc. In vesperis per antiphonam: Laudemus deum etc., versum: Angelis suis deus etc. Et hec habet · ii · capitula. Et hec in locis suis in ordinario annotentur.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: vel de lapsu carnis manifeste convictus fuerit, addatur: vel carcere sententialiter et legitime fuerit mancipatus. Et hec habet · iii · capitula.

Item hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur in fine: si vero in provincialatu decesserint, deleatur totum usque in finem et dicatur sic: si vero in provincialatu decesserint, libri et alia, que habuerunt per provisionem ordinis a provincia vel conventu aliquo, antequam essent provinciales vel in ipso provincialatus officio, ad provinciam vel conventum, unde habuerunt, simpliciter pertinebunt. Alia vero omnia, que habuerunt, sint illorum conventuum, de quibus assumpti fuerunt. Et hec habet · iii · capitula.

Item hanc: In capitulo de studentibus, ubi dicitur: maioris partis eorum consilio et assensu, deleatur totum, quod sequitur usque ibi: Et in aliis illis, ad quos mittuntur, et dicatur sic: si vero aliquem ipsorum studencium infra sex menses a tempore celebrati capituli mori vel legitime impediri contigerit, prior provincialis possit loco illius alium subrogare. Et hec habet · iii · capitula.

Iste sunt ammoniciones et ordinaciones.

Cum ex indiscreta penarum impositione invenerimus multas turbaciones et conscienciarum pericula in electionibus contigisse, mandamus et districte iniungimus universis prioribus provincialibus et conventualibus ac eorum vicariis, quod non nisi ex causa legitima multum necessaria et urgente et deliberacione diligenti prehabita cum discretis precepta faciant vel excommunicacionis sentencias fulminent seu voce vel graciis ordinis fratres privare presumant. Contrarium autem facientes, postquam legitime constiterit, in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Cum ex verbis incaute prolatis frequenter scandala oriantur, sicut magistra rerum experientia nostris temporibus manifestat, volumus et ordinamus, quod quicumque frater provincie Anglie, infra ipsam provinciam vel extra existens, verba quecumque quocumque pallio vel colore dicere ausus fuerit, ex quibus verbis serenissimus dominus rex Anglie vel domina regina mater sua aut regnum ipsum Anglie posset merito perturbari, postquam legitime constiterit, carcerali custodie mancipetur.

Item. Ordinaciones et admoniciones precedentis capituli generalis apud Cistaricum celebrati de psalmo: letatus sum, versiculis et collectis pro bono et tranquillo statu ecclesie singulis diebus in missa dicendis, de doctrina

sancti Thome pertractanda et declaranda, de subscriptione in litteris, que superioribus mittuntur, et de non procurando studium Parisiense per aliquam personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam, et preceptum de tribus florenis a qualibet provincia infra sequens generale capitulum procuratori ordinis ad curiam mittendis, cum penis ibidem appositis volumus in suo robore permanere¹. Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne aliquis frater, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam accedere presumat vel de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine eiusdem magistri ordinis licencia speciali habita et expressa. Quicumque autem contrarium fecerint preter transgressionem precepti voce et omnibus graciis ordinis sint privati. Concedit tamen magister ordinis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres.

Letania more solito dicatur.

Iste sunt penitencie.

Denunciamus fratribus universis, quod omnes et singuli fratres, qui quocumque modo Ludovico, quondam duci Bavarie, Michaeli de Cesena, quondam generali ministro ordinis fratrum minorum, et Petro de Corbaria, et complicitibus eorum hereticis dampnatis ac scismaticis per sanctam Romanam ecclesiam adhererint aut eisdem prestiterint auxilium vel consilium, dudum per reverendum patrem magistrum ordinis fuerint sentencialiter et in scriptis carceri penisque carceralibus condempnati, dictamque condempnationem dictus magister in presenti capitulo renovavit et publice promulgavit. Quapropter idem magister de voluntate et assensu diffinitorum precipit in virtute sancte obediencie prioribus provincialibus et conventualibus et eorum vicariis, quod diligenter inquirent, si sint aliqui vel fuerint in tanto scelere delinquentes; et quoscumque invenerint deliquisse, postquam legitime constiterit penis dictis sine dilacione puniant nec circa tales sic punitos dispensari valeat, nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale².

Declaramus, quod res et bona apostatarum debent ad conventus illos, de quibus erant tempore, quo apostatarunt, libere pertinere.

Assignamus vicarium in provincia Terre sancte fratrem Guillelmum de Cesimano de eadem provincia, quousque prior provincialis in eadem provincia sit electus et confirmatus ac presens extiterit in eadem.

Item. In provincia Grecie fratrem Nicholaum de Adria de provincia regni Sicilie in forma et modo consimili vicarium assignamus.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre et domino nostro summo pontifice et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos sex missas; et ordinamus, quod in quolibet conventu sit ebdomadarius pro eodem.

Item. Pro venerabili patre domino Guillelmo Sabinensi episcopo cardinali³ quilibet sacerdos tres missas et quilibet conventus unam missam.

Item. Pro venerabili patre domino Matheo, tituli sanctorum Iohannis et Pauli presbytero cardinali⁴, quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro venerabili patre domino vicecancellario curie Romane ecclesie quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino cardinali de Pelagrua⁵ quil. sacerd. · i · miss.

Item. Pro venerabilibus patribus et dominis cardinalibus Bertrando de Montefavencio⁶, Gauzelino Iohannis, Raymundo de sancto Papulo⁷ et dominis legatis Lombardie et Tuscie, domino Raymundo de Fargis⁸, domino Guillelmo de Monte⁹, domino Luca, domino Petro de Yspania¹⁰, domino Neapuleone, domino de Convennis¹¹, domino Avinionensi et venerabili collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro venerabilibus fratribus domino fratre Petro de Palude, patriarcha Ierosolymitano¹², et dominis archiepiscopis Compostelle¹³, Tholosano, Coloniensi, Treverensi, et dominis episcopis Leodiensi, Myrapiscensi¹⁴, Illerdensi et Mediolanensi, Appamiensi¹⁵, Bayonensi¹⁶, Parisiensi, Autisiodorensi, quilibet sacerdos duas missas.

¹ Cf. supra pag. 190 l. 19 sqq.

² Cf. supra pag. 160 l. 3.

³ De fr. Guilelmo cf. supra pag. 182 l. 2.

⁴ De fr. Matthaeo cf. ibid. l. 25.

⁵ De Arnaldo de Pellagrua cf. supra pag. 183 l. 2.

⁶ De dd. cc. Bertrando, Gaucelino, Luca, Napoleone cf. supra pag. 182 l. 28 sqq.

⁷ Raimundo de Mostuejolis; cf. EUBEL l.c.p. 15.

⁸ De Raimundo de Fargis cf. ibid.

⁹ “Guillelmo de Monte” “Galhardo de Mota” legendum esse arbitror; ibid. l.c.p. 14.

¹⁰ Petro Gometti, Toletano, ep. Carthaginen., tit. s. Praxedis, etc.; ibid. pag. 15.

¹¹ Ioanne de Convenis, aep. Tholosan., tit. s. Vitalis etc.; ibid.

¹² De fr. Petro de Palude cf. supra pag. 183 l. 17.

¹³ De fr. Berengario de Landorra aep. Compostellan. cf. ibid. l. 10.

¹⁴ Petro de Lapeiraweda (Piret) O. Praed.; cf. ibid. l.23.

¹⁵ Dominico Grenier O. Praed.; cf. ibid. l. 19. 14 Petro de s. Jean O. Praed.; cf. ibid. 15 Ioanne O. Praed.; cf. ibid. l. 16.

Item. Pro venerabili patre domino archiepiscopo Nicosiensi¹⁷ quilibet sacerdos unam missa. Item. Pro serenissimo principe domino Philippo rege Francie et domina regina eius consorte quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro domino Iohanne primogenito regis Francie quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino rege Anglie et domina regina eius consorte, et domina regina matre eius, et domino Iohanne fratre eius, quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro illustrissimis regibus domino Roberto rege Sicilie et domino Carolo, rege Ungarie, et regibus Aragonie, Castelle, Majoricarum, Navarre, Boemie, Polonie et Ciprie; et dominis principibus Achaye et Taranti, uxoribus et liberis eorundem, quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro domino Roberto Atrabatensi, comite Bellimontis, et domino Iohanne Emmanuelle, et dominis infantibus Petro et Raymundo Berengario, fratribus domini regis Aragonie, uxoribus et liberis eorundem quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro domino duce Bavarie, et domina ducissa antiquiore, et domina ducissa iuniore, et nobilibus dominabus domina Blanca de Calderiis, et domina Riebos, quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro domina Uga sorore domini nostri summi pontificis, et nepotibus suis quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro domina Beatrice de Cayoto et recommendatis per eam quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro monasterio et priorissa de Pissiaco et pro sororibus Isabella de Vallessio, Maria de Claramonte, Isabella de Atrabato, Maria de Britannia et aliis sororibus quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro canonicis de sancto Servacio et beate Marie in Traiecto et pro civibus Traiectensibus et domino Florentino, uxore et liberis eius, et dominabus abbatissis de Xara et Corredo, et dominabus Agnete Umbaldi et Berengaria Luylia, et domina Castiliona Gomir, et domina Alta Doran, et domino Philippo filio eius quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro venerabili patre magistro ordinis quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro fratribus nostris et sororibus et pro fratribus minoribus et pro illis, qui receperunt fratres venientes ad capitulum et recipient redeuntes; et pro illis, qui habent litteras de beneficiis ordinis, et pro hiis, qui benefecerunt capitulo, et dominis Nicholao de sancto Iusto et Petro Corini de Perpignano, uxoribus et liberis eorum, quilibet sacerdos tres missas.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro domina Iohanna quondam regina Francie et Navarre quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina Clemencia quondam regina Francie et Navarre quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino Edoardo, quondam rege Anglie defuncto, et dominis regibus, domino Iacobo Aragonie rege, et domino Sancio rege Majoricarum quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina comitissa Atrabatensi et domino Malgolino quondam comite Empuriarum, et domina comitissa matre eius, domina Violante sorore sua, et domino Ermengauda quondam comite Urgelli, et domina Sibillia quondam comitissa de Pallariis quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro domino comite Sabaudie et domino Othone de Grandasano, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina Netanderda, domino archiepiscopo Senonie, domino Othone de Bauzamanii, Enrico Clinco, domicella Assella, et pro parentibus et amicis fratris Egidii de Breda et Agnete Laverre, et domino Petro de Boyl, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro fratribus et sororibus nostris defunctis, parentibus, familiaribus et benefactoribus et illis, qui habuerunt litteras de beneficiis ordinis quilibet sacerdos tres missas.

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos septem psalmos cum letania et quilibet conversus centum pater noster cum totidem Ave Maria dicant.

Concedimus provincie Francie unam domum ponendam, ubi provincialis cum diffinitoribus capituli provincialis Francie viderit expedire.

Item. Provincie Yspanie concedimus unam domum ponendam in Castro de Ordiales.

Assignamus ad legendum sententias isto anno Parisius fratrem Durandum de Aureliaco de provincia Francie¹⁸, et post ipsum immediate de voluntate sanctissimi domini nostri summi pontificis assignamus fratrem Lupum Alphonsi de provincia Yspanie¹⁹.

Committimus magistro ordinis ordinationem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalareis et lectoribus biblie ordinet et disponat; prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sententias iudicum approbamus. Sequens capitulum generale assignamus in conventu Victoriensi in provincia Yspanie et ordinamus, quod priores provinciales, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavam ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante sextam feriam vigiliam pentecostes immediate precedentem.

Quicumque autem sine licencia ad capitulum venerint vel loco capituli appropinquaverint cum intencione ad capitulum veniendi, sint eo ipso per triennium omni voce privati. Instrumenta publica condemnacionis fulminate

¹⁶ Petro de s. Jean O. Praed.; cf. ibid.

¹⁷ Ioanne O. Praed.; cf. ibid. l. 16.

¹⁸ De fr. Durando cf. supra pag. 193 l. 20.

¹⁹ De fr. Lupum cf. ibid. l. 23.

contra Ludovicum Bavarum, Petrum de Corbaria et Michaelem de Cesena. Subscripta contenta in processibus sanctissimi patris domini Iohannis pape vigesimi secundi factis contra Ludovicum de Bavaria ac Petrum de Corbaria et fratrem Michaelem de Cesena, olim ministrum generalem ordinis minorum, qui dictus sanctissimus pater per magistrum generalem ordinis predicatorum ac priores omnes dicti ordinis et ipsorum vicarios ac fratres alios ydoneos ab ipsis electos precipit, in locis fratrum solempniter publicari et in sermonibus populo in vulgari exponi. Super quam publicacionem ipsum certificari precipit, quam cicius fieri possit per instrumenta publica continencia principium et finem literarum suarum.

Quoad prefatum Ludovicum continentur culpe ipsius huiusmodi: In primis, quod regnum Romanorum indebite usurpavit.

Item. Quod hereticos Lombardie et rebelles ecclesie manifeste defendit.

Item. Quod in hereses dampnatas ab ecclesia incidit, quarum una est, quod Christus et apostoli nullum ius habeant in rebus, quibus utebantur, videlicet nec in cibo, nec in potu, nec vestibus, aut in re alia qualicumque; heresis vero alia, in quam incidit, est, quod ad imperatorem pertinet papam instituere, destituere ac punire.

Item. Quod Marsilium de Padua et Iohannem de Ianduno, qui librum quemdam scripserunt multas hereses continentem²⁰, et ob hoc fuerant heresiarche et heretici condempnati in sua familiaritatem admisit et eos hereses publice predicantes retinere presumpsit.

Item. Formam deposicionis contra papam ausu temerario promulgavit. Propter premissa vero est ab ecclesia non solum ut fautor hereticorum, sed etiam tanquam scismaticus condempnatus.

Quoad penas vero ipsius continentur: in primis, quod ipse est nominatim excommunicatus a papa. Item. Privatus est iure, si quod ex electione in regem Romanorum sibi fuerat acquisitus.

Item. Privatus est feudis, si que ab ecclesia vel imperio obtinebat et specialiter ducatu Bavarie et iuribus omnibus, que sibi in eodem ducatu vel occasione ipsius ad eum poterunt pertinere necnon et privilegiis omnibus sibi autoritate apostolica vel imperiali concessis.

Item. In omnes penas (commisit) a canonibus vel legibus inflictas declaratur incidisse.

Item. Privatus omnibus bonis tam mobilibus quam immobilibus, iuribus et iurisdictionibus, et specialiter comitatu palatino super Rhenum, ac voce in electione regis Romanorum.

Item. Absolvit dominus papa omnes communitates et personas dicto Ludovico per iuramentum fidelitatis vel aliud quodcumque astrictas.

Item. Inhibet districte singulis personis tam ecclesiasticis quam secularibus, cuiuscumque fuerint dignitatis, insuper et civitatibus, communitatibus quibuscumque, et specialiter Mediolanensi, Saonensi, Cumane, Vercellensi, Pergamensi, Laudensi, Cremonensi, Aretine, Novariensi, Papiensi, Mantuane, Veronensi et Lucane, ne cum dicto Ludovico participant aut ei faveant publice vel occulte, nec portent vel mittant seu portare vel mitti faciant victualia vel quodlibet aliud, quando possit in eius utilitatem cedere, nec ligas quascumque cum eo initas, presertim in eius utilitatem observent; contraria premissis facientes, postquam processus papalis ad eorum noticiam potuisset probabiliter pervenire, si sint communitates interdicto, si vero persone singulares excommunicacionis sentencie et terre ipsarum ac loca interdicto subiaceant. Insuper et penis omnibus, quibus fautores et defensores hereticorum de iure subiacerent noscuntur.

Premissa omnia continentur in litteris apostolicis, quarum principium est: Nuper videlicet die iovis etc.; finis vero talis est: quam cicius poteritis, cerciores etc.

Datum etc. Quoad Petrum de Corbaria continentur culpe ipsius subscripte:

In primis quod ipse, relicta uxore legitima, cum qua annis pluribus cohabitavit et ut uxorem tractaverat tam in mensa quam in lecto, ordinem minorum est professus.

Item. Quod pro fratre minore se gerens contra preceptum sui provincialis ministri in adventu Ludovici ad Urbem ibidem remansit et nonobstante, quod urbs ipsa esset supposita interdicto, immiscuit se in divinis.

Item. Ibidem in summum pontificem eligi se permisit, et ea que ad nostros Romanos pontifices pertinent de facto exercere ac etiam divina profanare presumpsit.

Item. Scismata et dissensiones per ipsum inter christianos, quantum in ipso fecit seminare, nutrire et augere non cessat.

Item. Prefatum Ludovicum hereticum manifeste defendit.

Item. In heresim incidit superius memoratam, videlicet: quod ad imperatorem pertinet papam instituere, destituere ac punire.

Item. Quod de clavibus ecclesie in eius potestate male videtur sentire. Item. Quod non solum ipse in Urbe violavit interdictum, sed etiam alios consuluit violare.

Item. Ecclesias calicibus, crucibus et aliis ornamentis ecclesiasticis spoliavit. Propter premissa ipse est hereticus et scismaticus ab ecclesia iudicatus.

Quoad penas ipsius continentur subscripta:

In primis, quod ipse est nominatim excommunicatus a papa.

Item. Est ab omni gradu ecclesiastico depositus.

²⁰ Qui intitulatur Defensor pacis apud GOLDAST Monarch. Rom. imperii II 154. Cf. DENIFLE Chartularium l.c.p. 301303.

Item. Quicumque eum recipit vel sibi tanquam summo pontifici adheret vel ei reverentiam exhibet aut defendit, pari sententia subiaceat et tocus sacri ordinis privatione mulctatur, ita ut ei viatici communio, nisi tantum in ultimis denegetur; illos vero, qui sibi resistunt et eum persequuntur, divina gracia protegat et auctoritas apostolorum ab omnibus peccatis absolvat.

Item. Declarat papa ipsum incurrisse omnes penas scismaticis et hereticis et committentibus alia crimina, que ipse commisit a iure inflictas.

Item. Precipit dominus papa patriarchis et omnibus personis ecclesiasticis sub pena excommunicationis et suspensionis ab officio et beneficio, quam non parendo incurrunt ipso facto, necnon privationis, deposicionis et inhabilitacionis officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum, communitatibus insuper omnibus et personis aliis, cuiuscumque fuerint dignitatis, ne dicto Petro faveant quoquo modo nec eum pro prelato habeant vel nominent, sed eum velut hereticum et ecclesie destructorem abhorreant et persequantur, et, si potuerint, capiant et fideliter custodiant subdendum ecclesiastice discipline, nec ordinatos ab ipso vel ad officia aut beneficia promotos ecclesiastica vel mundana recipiant vel pro talibus habeant, nec eciam cum ipso confederacionem aliquam contrahant, nec contractam observent. Contra premissa venientes, si persone fuerint singulares, sententiam excommunicationis incurrant; si vero communitates subiaceant interdicto una cum locis et terris ipsarum; privantur insuper privilegiis apostolicis et imperialibus, quibuscumque feudis, eciam que ab ecclesia vel imperio obtinent. A predictis vero penis preterquam in mortis articulo liberare possit solus papa.

Premissa omnia continentur in litteris apostolicis, quarum est tale principium: Adversus hominem illum etc.; finis vero talis: quam cicius poteritis cerciores etc. Datum etc.

Quoad fratrem Michaellem de Cesena, olim ministrum generalem ordinis minorum, continentur subscripta quoad culpas ipsius:

Imprimis, quod ipse in Urbe multa detestanda contra ecclesiam sanctam in favorem hereticorum et rebellium ecclesie predicare satigit, et cum ob hoc citatus esset, ut coram papa personaliter compareret, iuxta terminum prefixatum non comparens, contra inhibitionem pape de curia clam recessit.

Item. Post dictam fugam cum scismaticis et hereticis continue conversatur, ipsos in erroribus omnes fovit et in fulcimentum errorum suorum hereticalia et erronea multa scripsit.

Propter que est scismaticus et hereticus et heresiarca eciam iudicatus.

Quoad penas vero ipsius continentur subscripta: Imprimis quod ipse excommunicationis et deposicionis ab officio et inhabilitacionis ad quoscumque honores, gradus et status ecclesiasticos penas incurrat.

Item. Penis omnibus et sentenciis spiritualibus et temporalibus, quibus a divino et ecclesiastico iure hereticorum fautores et heretici ac heresiarche et scismatici sunt obnoxii, est subiectus.

Item. Inhibetur universis patriarchis et personis ecclesiasticis ac communitatibus et personis aliis, ne dicto Michaeli faveant quoquo modo, sed potius ipsum persequantur ut hereticum et fidei corruptorem; et si potuerint, capiant et fideliter custodiant, subdendum ecclesie discipline, ut de Petro de Corbaria superius dictum fuit, sub penis ibidem expressis, quas contra premissa venientes ipso facto incurrunt, a quibus solus papa, preterquam in mortis articulo poterit liberare.

Premissa continentur in litteris apostolicis, quarum est tale principium: Dudum contra Michaellem etc.; finis vero talis est: quanto cicius poteritis cerciores etc. Datum etc.

Subscripti sunt errores seu hereses fratris Michaelis de Cesena, olim ministri generalis ordinis fratrum minorum, quos sanctissimus pater dominus Iohannes papa vigesimus secundus confutat in libello, cuius est tale principium. Quia vir reprobis Michael etc.; finis vero huiusmodi: Ad inficiendum simplices ulterius diffundantur etc.

Quem quidem libellum mandat dictus pater per magistrum ordinis predicatorum in ipsorum generali capitulo publicari et communicari conventibus et fratribus ordinis antedicti.

Primus est, quod in rebus usu consumptibilibus ususfructus potest a proprietate seu dominio separari.

Secundus est, quod in rebus usu consumptibilibus potest ususfructus iustus separari a iure utendi.

Tercius est, quod Christus et apostoli nullius rei omnino habuerunt dominium in proprio vel communi nec eciam in re aliqua ius utendi, quia hec evangelice perfectioni repugnarent.

Quartus est, quod levite veteris testamenti decimarum et rerum aliarum eis a domino concessarum, habuerunt solummodo ususfructus.

Quintus est, quod primi parentes, si stetissent, non habuissent alicuius rei omnino dominium, sed tantummodo usumfructus.

Sextus est, quod perfectioni repugnat eciam pro rebus communibus in iudicio litigare (volens).

Igitur: Ego frater Barnabas, magister ordinis, sanctissimi patris ac domini summi pontificis mandatis in omnibus volens obedire, dicta mandata apostolica in actis presentis capituli generalis fratribus denunciare precepi atque in virtute sancte obediencie mandavi diffinitoribus prefati capituli, ut copiam illorum articulorum, prout in hac schedula continentur, ad suas provincias diligenter fideliterque deportent ac per eosdem in virtute sancte obediencie preceptum nisi ad omnes et singulos priores provinciales et conventuales ac eorum vicarios, ut omnia et singula ad dictam materiam pertinencia per se vel per alios fratres ydoneos publicent in sermonibus publicis vulgarizando et ad obedienciam sancte Romane ecclesie dictorumque rebellium hereticorum et scismaticorum confutacionem populos inducendo. Et super hiis petivi michi fieri publicum instrumentum, sigillumque meum presentibus apposui in testimonium predictorum.

Datum apud Traiectum superius in nostro generali capitulo anno domini millesimo tercentesimo trigesimo.
Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXIX.